

Agentes vident gravi supercilium!  
Fuit quae soccis venerandis novitas!  
Quae vestes, crines, graecae vel fasciolae!  
Ita decorum pulcrumque ut nihil supra.  
Et omnes incolae plausere et advenae  
Supra qui numerum gratantes venerant.  
Novus qui gloriae Romanae radius!  
Honor fuit tantus graeca si comoedia,  
Erit latino par decus, ni forte maius.  
Enim frequentant gymnasium publice  
Colunt latinas litteras et filiae!  
Imo donantur sapientiae laurea  
Erat quod elapsis mirum temporibus.  
Ego hac fiducia suffultus unice  
Manu veloci versibus senariis,  
Solis puellabus scripsi comoediam,  
Casum deponens memorandum foeminiis  
Quies aeterna promeretur gloria.



#### PERSONAE:

FULVIA, Pilati uxor.  
MARIA E MAGDALO, Christi discipula.  
HERODIA, Herodis uxor.  
OCTAVIA, foemina romana.  
BERENICES, Christi discipula, (vulgo *Veronica*).  
HAEMORRHOISSA, Christi discipula.  
LIBERA, Fulviae liberta.  
Scena tota est in aedibus Pilati.



#### PROLOGUS. (1)

Novi quid dicam, spectatores optimi?  
Poëta quidquid vellet ipse dicere,  
Et ipsum omnes argumentum perdocet:  
Iesus Pilato condemnandus traditur...  
Movetur omnis civitas invidia,  
Suis furore ducta magistratibus,  
Premit quae violenter, impellit iudicem,  
Ut omni modo, gravi multctetur innocens.  
Sic omnes cedunt paucorum vafritiae!  
Sed adstant solae fortiter mulieres.  
Eas poëtae in scenam perduci placuit  
Domum Pilati gradientes, obstrepunt,  
Omnia questu miscent, implent querimonii,  
Ut illum salvent, reddant ut incolumem!  
Matrum sic corda tangit infortunium!  
Apud quod olim Golgotham conficitur.

(1) PROLOGUS erit LIBERA.

Diem nefasto resignandum lapide.  
In aevum virtus illarum vertit in decus.  
Stabat Ierusalem harum fortitudine  
Decus! Dicentur Christi currere obviae  
Eumque multis ut lugerent lacrimis.  
Volo nec nimias laudes perfundere  
Adhuc cum nostris sit agenda fabula.  
Vacivis auribus, semper qui mos fuit,  
Novam comoediam accipiatis, rogo.



#### SCENA I.

*LIBERA stans apud fenestram respiciens foris.*  
Qui rumor gentium! Viae Ierusalem,  
Dolent repleri semper quae silentio,  
Strepunt furentium insanis vocibus.  
Et Illum quem ferebant nuper ad sidera,  
Ad imum perfidi detrudunt tartarum!  
Quid est populi nam turba inconstantius?  
Novi quid accedit? Fecit quid improbi? (2)  
Boni non egit quid ipse omni tempore?  
Iesus magister est mihi pae ceteris.  
Vocat nam cunctos ipse fratres homines,  
Sive Romani, Graeci sint, vel Barbari,  
Sive sint ipsi pauperes aut divites...  
Et ipsa gaudeo suis de muneribus.  
Enim, misella, servitutem servii,  
Meumque corium seges flagitii  
Fuit virgarum diuturna tempora.  
Venit sed ipse, paucis heram alloquitur,  
Dedit me subito abire pro arbitrio.  
Quid est hoc dulcissimus, quid est suavius?  
Et istum divites ponunt nunc ad Crucem!...  
Et adsunt irae tenaces et principes!...  
Quid est invidia turpius delirii?  
Viae repellent vocibus, quae clamitant,  
Eum necis reum damnandum capit,  
Diebus quem lapsis ovantes ceperant!  
Brevis quam populo memoria munerum!  
Ei sed omne profero meum bonum.  
Prius vocabar Afra, Libera nunc minor,  
Prius vapulabam virginis perpetuis,  
Fruor nunc ipsa dominae confidentia,  
Quae amat puellam, filiam prosecutur.  
Dabit quis ipsi me maiores gratias?  
*(Ad proximum numerum).*

(2) Pausat iterum et prope fenestram loquitur.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

## Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis

Qui dies adventant, ad pacem recolegendam, quam Christus, humani generis Redemptor, suo ortu in terris nunciavit, tertium homines inveniunt per incredibile odium invicem certantes, terramque late fraterno sanguine madidam. Quoniam igitur animo eosdem dies faustos et felices omnibus omnideumur, dum ipsi, qui scribimus, tot amicos et collegas dilectissimos, quorum memoria hac tempestate magis succurrit, complorare adacti simus; quinimo de sorte filiorum nostrorum, raptorum ad bellum trepidemus? Fidentes tamen providenti illi Numini, quod certae spei solatium assidue praestat, praestat et robur, nedum frangamur, erigimus magis nos, ac sereno vultu futura prospicimus, quae vobis, o socii et lectores humanissimi, nobisque meliora speramus, operique cui simul intendimus, quodque pro certo habemus, si humanitatis triumphus redibit, et ipsum cum ea triumphanturum.

Congruenter diximus ad opus nos simul intendere: si enim vires nostrae, quantaecumque haec sunt, ad illud conferimus, nec ulli vitae nostrae sacrificio pro eo parcimus; non lucro et quaestui, sed quibus impensis commentarii vita indiget, vos per societatem vestram subvenitis. Itaque, quum, difficillima hac tempestate, tot tantaque discrimina et adversa, forti erectoque animo adgredi nos praesto sumus et in incoepio viriliter perseverare; et vos non solum in loco vestro manete, sed efficiatis, ut nostrorum agmen quotidie augeatur et crescat, ita ut imperandi ius potestatemque merito tandem sibi possit vindicare. Viribus enim sic unitis, fata quaevis sustinere, quin etiam vincere nobis licebit.

Interim, dum ad proximum numerum peculiares rationes delegamus, quibus per annum MCMXVI in itinere persistere constituerimus, in commodum praesertim illorum, qui ultro ad ALMAE ROMAE societatem accessuri sint, quosque, per eorum praesertim sollicitudinem qui iam eius sunt participes, multos futuros esse confidimus, prospectum consociationis commentarii nostri iuverit revocare. Ea bifariam dividitur, Patronorum nempe, et Sociorum.

PATRONUS est qui summam saltem libellas centum italicas aequantem quotannis commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

SOCII in singulos annos solvunt si in Italia lib. 9; extra Italiam ubique libell. 12 (doll. 2,40; sh. 10; rubl. 4  $\frac{1}{2}$ ).

Pro novis autem sociis, subnotatio extraordinaria ea ratione condita est, ut tum *Almam Romam* ipsi habituri sint a mense Novembri MCMXVI ad mensem Decembrem MCMXVII immutato anno consociationis pretio, tum integra commentarii collectio, scilicet a mense Maio MCMXIV ad expletum usque annum MCMXVII, iis tradatur solutis libell. 30, si in Italia; libell. 40, si extra. Mandata vero circa extraordinarias has conditiones recto tramite, sive per publicum cursum, sive per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam, sive etiam per commissionem apud extera in Urbe seminaria et collegia, defenda omnino sunt ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

ALMA ROMA.

### De Doctrina Sancti Thomae Aquinatis impensis excolenda

Supremus Christianae Ecclesiae Pastor, Benedictus PP. XV, dum munus adimplet amantissimi Patris, qui omnibus filiis sedulo providet, iis praesertim quos durius afficit immane belli flagellum, munusque Medici sapientissimi, qui vulnera et contritiones sanare satagit, ubicunque grassatur dolor, omnibus medendo languentibus, sive ferro sauciis, sive in captivitate detentis, perfectas simul partes gerit indefessi Doctoris, qui Sanctae Fidei depositum vigilantissime custodit.

Quo efficacius autem munere hoc fungeretur, altius colendam voluit disciplinam, quae ab Angelico praceptor tradita est.

Multa quidem prodierunt Acta, quibus sive ipse Romanus Pontifex, sive Sacrum Consilium Studiis regundis praepositum, monuerunt summum doctrin-

nae magistrum habendum esse Thomam Aquinatem.

Iam die III m. Decembris an. MCMXIV, in *Motu proprio* de Bononiensi Theologorum Collegio, Benedictus XV statuit « ut Archicancellarius et Collegium Theologorum Bononiense, servatis praescriptionibus, vel sacri Consilii studiis provehendis, in primisque decreto *Doctoris Angelici*, die XXIX m. Iunii illius anni edito de summis Thomae Aquinatis principiis in philosophia sancte tenendis deque ipsa Summa Theologica in scholis theologiae praelegendis vel aliis quae Sedes Apostolica preecepit preeceptaque sit, academicos theologiae gradus et lauream conferre possint. » (1)

Die autem XXXI Decembris ipsius anni MCMXIV, in *Motu proprio* de Romana Sancti Thomae Academia: « Nos vero, — inquit — quum, aequa ac decessores nostri, persuassimum habeamus de illa tantum philosophia Nobis

(1) *Act. Apost. Sed.*, vol. VI, pp. 689-691.

esse laborandum quae sit secundum Christum (Colos. II, 8), ac propterea ipsius philosophiae studium ad principia et rationem Aquinatis omnino exigendum esse, ut plena sit, quantum per humanam rationem licet, explicatio invictaque defensio traditae divinitus veritatis, hanc S. Thomae Academiam, non minus quam illis, Nobis esse curae volumus appareat » (1).

Die XXV Martii MCMXVI, suprema sua auctoritate ratam habuit et confirmavit sententiam S. Consilii de Seminariis et de Studiorum Universitatibus circa *Motu proprio* « *Doctoris Angelici* » de Summa Theologica in scholis praelegendis et circa XXIV theses philosophicas a S. C. Studiorum recognitas et probatas (2).

Die V Maii eiusdem anni, in epistola ad me ipsum Eduardum Hugon, O. P., dignatus est scribere: « *Sanctum et salutare est, ac paene necessarium* in scholis catholicis, ubi ad philosophiae ac theologiae scientiam instituitur sacra iuventus, *summum haberi magistrum Thomam Aquinatem* » (3).

His Summi Pontificis Actis insitens, Eminentissimus Purpuratus Pater Caietanus Bisleti, Praefectus S. Consilii de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, insignem, in lingua gallica, scripsit recentissime epistolam ad R. D. Alfredum Baudrillart, Rectorem Instituti Parisiensis, de doctrina S. Thomae impensis excolenda. Futuram praelividens rerum morumque restorationem confidit Eminentissimus Princeps praeliaras adeo fore Galliae in hoc opere partes, ut etiam in posterum valeat effatum *Gesta Dei per Francos*; at simul

monet non posse vitam morum firmam consistere, nisi sana doctrina nitatur. Hinc necessitas promovendi studium Doctoris Angelici tum in Catholico Instituto Parisiensi, tum in ceteris Galliae Universitatibus. Recitatis variis documentis, quae fuerunt a S. Sede etiam recentius edita, credit ac sperat ea omnia perfecte observatum iri ab illa inclyta gente, Ecclesiae Primogenita, quae semper cupivit in obediendo, sicut in amando, esse prior (4).

Haec est igitur Sedis Apostolicae indeficiens traditio, haec omnium Summorum Pontificum in commendando Aquinate invariata sententia, ut luculenter liquet ex egregio volumine in quo studiosa arte colligit R. P. Berthier innumeris Romanorum Pontificum et oecumenicorum conciliorum documenta (5).

Quaerenti autem cur sit Aquinati adeo firmiter adhaerendum, respondet sacra liturgia:

« *Stilus brevis, grata facundia,  
Celsa, clara, firma sententia.* » (6)

*Celsitudinem* scilicet in sublimitate principiorum, claritatem in modo et ratione dicendorum, firmitatem in veritate assertorum.

Doctrinae *celsitudo* ex principiis repetitur; quippe quae sunt altissimae causae, quarum cognitio mentem ad superiora evehit ac maxime nobilitat. Hinc effatum Angelici: « *Minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum desiderabilius est quam certissima cognitio quae habetur de minimis rebus* » (7).

(4) Cfr. *Act. Apost. Sed.*, vol. VIII, pp. 412-414.

(5) Cfr. I. I. BERTHIER, O. P. S. Thomas doctor Communis Ecclesiae, Romae, 1914.

(6) Brev. Ord. Praed. in fest. S. Th. II Noct., resp. IV.

(7) I. P. q. 1, a. 5.

Celsissima inde reputanda est disciplina illa, quae investigat *in unoquoque summum*. Id autem praestat Angelicus, recurrendo usque ad primum principium, quod est radix et caput omnium, illumine speciosum ordinem ostendendo, quo inter se connectuntur veritates et a prima veritate derivantur.

Quo circa egregie animadvertisit Gouzin: (1) « Sublimitatem principiorum doctrinae D. Thomae indicat tum titulus *angelicus*, quo donata est, eo quod inter humanas doctrinas tantum eminet quantum supra homines angeli; tum angelicus modus procedendi D. Thomae, qui, quantum rei conditio patitur, cuncta resolutivit ad prima et altissima principia ».

*Claritas* porro doctrinae est, sicut gratia in vultu, id quod illam speciosam et iucundam exhibit. Quapropter apud veteres, Graecos praesertim, clarum et decorum, lumen et pulchrum, promiscue interdum usurpantur.

Apud Angelicum claritas illa ex multis efficitur. In primis quidem ex proprietate verborum, qua vitantur et prae-aventur profanae vocum novitates. Unde notat cum Aristotele (III *Ethic.*), nominibus utendum esse sicut plures utuntur. Insuper ex recto definitionum usu. Recolit S. Doctor (2) praemittendas esse definitiones eorum de quibus agendum est, quia ex definitionibus alia capimus consequenter. Ut autem rectae conficiantur definitiones, a puris metaphoris est abstinentum. « Quum definitiones - inquit - sint praecipua et efficacissima media in disputationibus, si definitiones darentur per metaphoras, sequeretur quod oportet ex metaphoris disputare ». (3) Eluet praeterea in operibus Aquinatis cla-

ritas ex mirabili conclusionum inter se consensu; nam, veluti in corpore humano unum membrum alio non impeditur sed iuvatur, ita quoque omnia huius Doctoris dogmata sic inter se cohaerent, ut unum alio confirmetur nec ab illo divelli possit; et philosophica theologieis viam parent, rursusque theologica philosophicis novum robur, ac lumen et perfectionem adiiciant. Efficitor denique claritas ex argumentorum solutione. Non enim absque proposito refert S. Doctor initio cuiuslibet articuli rationes dubitandi: « Expedit ei, qui vult cognoscere aliquam veritatem, solvere dubitationes; quia solutio dubitatorum est inventio veritatis et ita ad sciendam veritatem multum valent rationes contrariarum opinionum » (4).

*Firmitas* tandem scientiae ex obiecti stabilitate praecipue oritur; si enim obiectum sit immutabile, assensus illi ininxus debet immotus consistere. Obiecta porro quae speculator Angelicus, sunt penitus inconcussa et immutabilia, illae nempe causae altissimae, quae aliter esse nequeunt. Provenit insuper firmitas scientiae ex lumine, quo illationes et conclusiones collustrantur, quodque infallibilitatem quandam praestat. In ordine quippe naturali Aquinas omnia dijudicat per lumen proprium. « Necessum est, — inquit, — in quolibet genere rerum prius considerare communia et seorsum et postea propria unicuique » (5). In ordine autem supernaturali omnia dijudicat per lumen divinum, Scripturae scilicet et catholicae traditionis. Hinc effatum Innocentii VI (6): « Huius (Doctoris) doctrina pae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum,

(1) *Dissert. praeav.*, I vol.

(2) *Periherm.*, Lect. I.

(3) *II Post. Anal.*, Lect. XVI.

(4) I. *De Caelo*, Lect. XXII.

(5) I. *De Anim.*, Lect. I.

(6) *Serm. de S. Thom.*

modum dicendorum, veritatem sententiatarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasset, et qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus ». Quod quidem non in theologia dumtaxat, sed et in philosophia utique valet, iuxta monitum Pii PP. X (*Encyc. Pascen.*): « Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detimento esse. »

Quocirca huic themati recte accommodari possunt quae « Doctor Mellifluus », S. Bernardus, de (1) Beatissima Virgine proferebat: « Huius doctrina ne recedat ob ore, ne recedat a corde; quia ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non errabis, ipsam tenens non corrues, ipsam loquens non mentieris, ipsam meditatus veritatem consequeris ».

Hic tamen non est sistendum; nam, ut monet Angelicus, *vita ducit ad scientiam veritatis* (2), et vicissim doctrina in vitam redundat. Non enim solum illuminat sol thomisticus, sed et ardet ac succedit; interdum quippe, data occasione, flammatia verba profert, quae animum subito in supernorum amorem abripiunt. Ita, quum ipsi de Eucharistiae effectibus esset habendus sermo, pulcherrime scripsit: « Sicut Gregorius dicit, amor Dei non est otiosus: magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud (3): *Caritas Christi urget nos*. Et inde est quod ex virtute huius sacramenti animus spiritualiter delectatur et quodam modo inebriator dulcedine bonitatis divinae, secundum illud (*Cantic.*, V, 1): *Comedite, amici, et*

(1) *Homil. II super Missus est.*

(2) *Comm. in Matth.*, cap. V.

(3) II. *Cor.*, V, 14.

*bibite et inebriamini, carissimi* (4). » Quo exemplo liquet quantus sit influxus doctrinae in vitam, et pietatis in studium.

Praestabit itaque disciplina Aquinatis ut vita nostra, aequa ac doctrina, sit celsa, clara, firma.

Celsitudo vitae ex fine ultimo desumitur. Quum enim finis sit in practicis quod principia sunt in speculativis, oportet ut ex amore ultimi finis, qui est Deus, excelsa reddatur vita, sicut scientia ex cognitione altissimorum principiorum celsa reputatur.

Clara iterum fit vita ex gratia sanctificante et ex Trinitate in iustis inhabiente: « *Habet autem anima hominis, — ait Angelicus, — duplē nitorem: unum quidem ex refūgentia luminis naturalis rationis; aliud vero nitorem ex refūgentia divini luminis, scilicet sapientiae et gratiae* » (5).

Demum firmitas vitae ex charitate et donis Spiritus Sancti repetitur. Sicut de S. Lucia Virgine canit sacra liturgia: « Tanto pondere fixit eam Spiritus Sanctus, ut virgo Domini immobilis permaneret »; ita, simili quadam ratione, spiritualia dona animam contra tentationes firmant, veluti templum, cuius fundamentum sit Christus, et columna Spiritus Sanctus.

Faxit Deus ut votum Summi Pontificis Benedicti XV compleatur, ut doctrina S. Thomae altius et impensis colatur, atque studiosorum vita fiat, sicut doctrina, celsa, clara firma: celsa fini ultimo inhaerendo; clara pae fulgore gratiae et virtutum; firma pae abundantia caritatis, qua Deum amplectamur nec unquam dimittamus iuxta illud Cantic. (III, C 4): *Tenui eum nec dimittam*.

EDUARDUS HUGON, O. P.

(4) III. P., q. LXXIX, a. I, ad secund.

(5) I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>. q. 86, a. I.

## DE IESU CHRISTI NATIVITATE in sacris Hebraeorum libris

Antequam Christus nascebatur, etiam atque etiam Hebrei, superna quadam confidentia instincti, ad caelum conversi, vocibus suis perpetua prece postulabant, ut ducem pollicitum post tot saecula concederet. At postea, ne quis forte utique suspicaretur, illum amplius esse ventrum, in suis historiis studiose silentio hanc de Messia prophetiam praeterire videntur. Iuvenes autem, qui scholas secundi ordinis, quas nominamus, frequentant, patriam linguam quidem arripiunt, ea tamen lege, ut sciant tantummodo absque labore legere eamque describere, sed ipsa sacrorum librorum volumina recte intelligere, horumque sensum inde exsculpere frustra nituntur. Faciunt mentionem de prophetis, qui apud illos diu divinitus floruerunt et, caelesti veluti face praeeunte, ad illustrandam futuri gentium Salvatoris imaginem omnino contenderunt, sed ut nulla ipsis opinio reveletur, atque in dies et memoria in oblivionem abeat!

Certe, eorum historia narrat passim de prophetis, sed de prophetiis ne verbum quidem. Ne autem horum exemplum sequar, dicam aperte illam modo esse ab hoc numero excipiemad, quam Deus in horto amoenissimo terrestris Paradisi protulit, quem ad mulierem conversus, serpenti dixit: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et ipsa aliquando conteret caput tuum. »

Haec autem promissio, quae nullo equidem modo negligi potest, si cum prophetis componeretur, maximum esset puerorum mentibus tormentum: qui vel nostris temporibus de rege illo venturo erudiuntur, qui aliquando disiuncta He-

braeorum membra per universum orbem in unum corpus colligat eosdemque in Iudeam triumphatores tandem reducat. Quod quidem omnibus diebus ter cum precibus ita postulare consuescunt: « Magna canite tuba, et salvi erimus: signum extollite et exules nostri ex quatuor terrarum partibus in unum locum congregabuntur. » Sed perperam. Si enim Salvator advenire debuisset haud ita multo postquam parentes ex paradiſo fuerunt exacti, omnibus perspicuum adparet longe aliam huic Salvatori missionem adsignandam fuisse, ea saltem ratione ut existerent iam Hebrei quos ipse redimeret...

Attamen dum Hebrei quotidie affirman Salvatorem nondum venisse, eorum liber sacer, qui *Talmud* inscribitur, conceptissimis verbis iam venisse profiteatur, et plurimis locis doctissime promulgandum esse censem adparuisse, eo potissimum tempore, quo historia et divina revelatio testantur Iesum Christum natum apud Bethleem fuisse.

Iuvat ad hunc librum confidentius accedere.

In tractatu *Sanhedrin* in capite *helek*; et in Tractatu *Eguhavoda Zarà* in capite *Lifuè Edeen*, haec clarissima verba leguntur: « Academia Eliae, qui ante Christum natum magister fuit, narrat: Orbis terrarum sex circiter millia annorum durabit: duo millia ante legem latam, duo millia post legem, novissime duo millia post Salvatoris adventum ». Ex hac igitur sententia, arguitur Salvatorem advenisse post quartum mille annorum spatium ab orbe condito. Ad hoc, ipse Tractatus summo studio solemniter scribit: « Si Hebrei bonis moribus erunt, Deus Salvatoris adventum accelerabit: sin autem, ad tempus praeſinitum mittet ». Quo facto ante venire po-

terat, minime tamen differri. Insuper alia Talmud verba in medium adferre iuvabit. In eodem Tractatu *Sanhedrin* in capite *hek* legimus: « Messias veniet quum profanum Romanorum imperium per novem menses populum Iudaicum domuit eumque est supergressum ».

Quae passim diversis locis videntur. In Tractatu enim *Ioma* in capite *Scirad Jamin*: « Salvator haud veniet nisi postquam Romani omnes Orbis populos obtinuerint per novem annorum spatium ». Quod quidem perfectissime componitur quum Caesar Augustus, clausis in Urbe Iani templi ianuis, incredibili omnium populorum laetitia, unus omnia sustinuit, moribusque gentes ornavit.

Infinitus essem, si cuncta quae de Salvatore ipsum *Talmud* refert, adducere vellem. Silentio tamen haud praeteream quae in eodem Tractatu *Sanhedrin* in capite *Ehadine Mamanod* iocose de Messiae adventu leguntur:

« Stabant ad mensam silentes cum patre filii Chijae magistri. Tunc magister famulo dicit: Porridge hisce puellulis paululum vini;... qui dum vinoque levant curamque sitimque, unus divina veluti mente abreptus, in hanc ivit sententiam: Messias veniet quum duae modo aedes Israelis manebunt, quae duces erunt Babylonensis captivitatis, domusque caput Israelis, quomodo legimus in Isaia c. VIII v. 4: Ipse vobis erit sanctificatio idemque petra offendiculi; malum exemplum utriusque Israelis domui, laqueus excidiumque Ierusalem.

Tunc magister ira commotus haec dixit: — Filioli mei, spinas meos in oculos protulisti, quoniam hausto vino e vobis secretum exiit ».

Traditio enim veri Messiae adventus occulto sacramento servabatur, vel ab Ierusalem eversione.

Ut autem uno verbo omnia commorem, hoc addam, esse quoque librum *Cabala* dictum, in quo quinquaginta Israelitarum magistrorum sententiae etiamnunc leguntur, quae, de anno adventus Messiae loquentes, simul perfecte conveniunt, Messiam advenisse. Hae vero omnes sententiae in eumdem annorum numerum vel a constitutione mundi conveniunt. Quot magna mentis deliramenta simul congeruntur ut veritatem ab oculis suorum eripiant! Et in hoc volumine adparet turpis illa Hebrei errantis fabula.

Iuvabit attamen animi causa novisse quod magister *Icos cinang ben Levi* narrat: « Apud specum magistri *Simonis ben Iesai* inveni, atque ab eo postulavi, si ad vitam aeternam ingrederer.

Elias mihi respondit: — Quando ille Dominus venerit...

— At quando?

Elias respondit: — Vade ad eum ipsum compellandum.

— At ubinam est ille?

Elias respondit: — Messias sedet ad Urbis Romae portas.

— Et quomodo eum absque dubio cognoscam?

— Haec habeto. Sedet inter paupe- res, allicit infirmos atque afflictos: ipse aegros fasciis sanaturus exuit, ipsosque dulciter adligat: eorum vulnera cum pietate detegit atque alternatim cooperit. Et identidem dicit: Ego Israelem aliquando in libertatem vindicabo, et nemo prohibebit».

Haud clarior testis potest desiderari; ipse enim ex adversariis proficiscitur.

Nec desunt denique qui vel inter Magistros de Messia disserunt, et utrum interficiendus esset necne.

Magister Raschi, Zacharium enucleans ad XII caput v. 10, ut sese facile ex

vinculis disserentium extricaret, et eodem tempore I. Christum Messiam libero ore profiteretur, Messiam ipsum duplicat dicens: « Messias imperfectus est. At Messias filius Ioseph! Messias filius David vivit in aeternum ».

Quo factum est ut de Messiae adventu ibi mentio fiat, ubi nunquam esse debebat.

Ioseph Flavius, clarissimus Hebraeum historicus, ita de Iesu Christo scribit: « Illa tempestate Jesus exorsus est, vir sapiens in primis, si homo adpellandus esset ». Hebrei vero ne hoc inexcusabile testimonium admittant, ob tantam in Iesu Christi reverentiam Iosephum Flavium pretio Christianorum corruptum insimulant, ac propterea nullam ei fidem esse adiungendam. Sed iudicio Flavii posthabito, in libro *Temah David*, quod est David germen, haec verba germana Hebraeorum lingua exarata leguntur: « Jesus Nazarenus Bethleem Iudee natus est, leuca et amplius a Ierusalem, anno ab orbe condito termillesimo septingentesimo et sexagesimo, anno quadragesimo secundo Caesaris Augusti imperatoris ».

Haec testimonia, quae ex ipsis Hebraeorum libris desumuntur, quae tot acerrimis argumentis Salvatorem advenisse proclamat, satis sint... hominibus saltem bonae fidei ac supervacanae. Cum Manzonio nostro concludemus; qui, in clarissimo carmine *Il Natale*, animos movens mentemque illuminans, omnes vulnus omnes Bethleemiticum Infantem adorent; in quibus et Hebraeos adnumerari tandem aliquando ominamur. Sic ille divinum Infantem suavissime compellat:

*Dive quiesce puer; tranquillum carpe soporem,  
Pone modum lacrimis, Dive quiesce puer!  
Pulvere et occultum stabulique quiete iacentem  
Agnoscant regem saecula cuncta suum!*

I. B. FRANCESIA.

## VETERA ET NOVA

### De munimentis castrensis.

In bellico argomento insisto ut modum geram pluribus sociis humanissimis, qui auctores fuerunt ut alia de hac re, heu! quam praesenti adhuc, scriberem: numne et ceteris qualemcumque hae adnotatiunculae non ingratae futurae erunt? Liceat spe in operam induci.

Castrorum munitio sive interior, sive exterior *fossis, cippis, liliis, stimulis* Praecipue olim constitisse, a Caesare et Livio praesertim deducitur; ad oppugnationem autem, itemque ad defensionem *vallis, aggeribus, cratibus, pluteis, vineis* utebantur. Quid singulorum? Quaenam cum hodiernis munimentis plus minusve componi possunt?

*Fossa* (ex *fodio, fossum*) locus generaliter appellabatur unde effossa terra esset. Bifariam dividebantur fossae, *patentes* scilicet atque *caecae*, quarum confiendarum modus traditur a Columella (II, 2 *ante med.*) et Palladio (VI, 3): « Sulcis enim in altitudinem tripedaneam depressis, quum parte dimidia lapides vel glaream receperint, aequentur superiecta terra quae fuerit effossa, vel, si nec lapis erit nec glarea, sarmensis vel quibuscumque virgultis cooperiantur ».

*Cippus*, qui aliquo modo cum fossa connectitur, quasi ora cum alveo, ita a Caesare (*Bel. Gall.*, VII, 73) describitur: « Truncis arborum, aut admodum firmis ramis abscisis, atque horum delibratis, atque praecutis cacuminibus, perpetuae fossae ducebantur. Huc illi stipites demissi, et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant;... quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis inducebant: hos cippos appellabant ». De *liliis* pariter ac *stimulis* Cae-

sar loquitur (*ibid.*): « Ante hos obliquis ordinibus in quincunxem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad summum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo praeacuti et praeusti demittebantur ita, ut non amplius digitis quattuor ex terra eminerent, simul confirmandi et stabiendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur: reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur... Id, ex similitudine floris, lilyum appellabant. Ante haec taleae pedem longae ferreis hamis infixis totae in terris infodiebantur, mediocribusque intermissis spatiis omnibus locis miles posset: et quum castra his ante obiectis sepsissent, facilis molitus eorum valli erat. Nam et quia rari stipites magnarum arborum eminebant, multi que et validi rami praebebant quod recte manu caperetur, duo, aut summum tres iuvenes connixi arborem unam evellebant. Qua vulsa, portae instar extemplo patebat, nec in promptu erat quod obmolirentur. Romanus leves et bifurcos plerosque, et trium aut cum plurimum quatuor ramorum vallos caedit, ut et suspensis ab tergo armis ferat plures simul apte miles, et ita densos affigunt implicantque ramos, ut neque quae cuiusque stipitis palma sit, pervideri possit; et adeo acuti, aliisque per alium immissi radii locum ad inferendam manum non relinquunt, ut neque prehendi quod trahatur, neque trahi, quum inter se innexi rami vinculum invicem praebeant, possit, et si evulsus forte est unus, nec loci multum aperit et alium reponere perfacile est ».

Hactenus Livius, a quo igitur describitur et *vallis* et *vallum*: quid si valli — quomodo et a quibus in castra ad ducti minime refert — inter sese mul-

Haud facile assentior Varronis scribenti

tifariam implexi ferreo filo eoque aculeis, spiculisque redundantem connectantur? En mumentum illud, late hodie

**Ad pueram latine scitam cui dono mittitur liber  
"De imitatione Christi,"**

*Nunc tibi caligo latiae modulamina linguae  
Nulla est quae piceo pulvere, virgo, tegat.  
Te quoque nunc religat numerosus Horatius, atque  
Noscius quae Cannis Poenicus acer agit;  
Et quae compta comas vincit Poppaea Neronem,  
Navibus et fractis quae Cleopatra fugit;  
Et quae moesta subit supremum Troia laborem;  
Omnia tu docta es nec reseranda manent.  
Instructam video, corde et sic gaudia carpens,  
Figere quaero tuis lumina luminibus,  
Plausibus admirans carmen te dulce Tibulli  
Lustrantem et graecis tot venusina modis;  
Teque exultantem, mentisque labore superham,  
Vocibus ut nostris « euge! » tibi canitur.  
Et nunc quod circum nullis obducta tenebris,  
Quaerentes oculos pagina nulla latet,  
Nunc quod opus monachi est ignoti Imitatio  
[Christi]  
Et damus inscriptum, blanda puella, lege.  
Novi equidem sacri indoctam non esse libelli,  
Vocibus et versis verba probasse reor.  
Pulchrior ast sane sermone videbitur omni,  
Invicta haud ullis usque loquela modis.  
Accipies veluti resonantem vespere vocem,  
Sub sero e cella quae sine fine canit.  
Si vocem tunc quae tenues vanescit in auras  
Sentis teque premit qui mea corda dolor,  
Sollicito studio si tunc moveare precandi,  
Pro me tunc lubeat fundere voce preces.*

JOSEPH SOLLINI.

in castris *Frisiae equi* nomine distin-  
ctum (1); quod itaque latine reddere per  
vallum non dubitaverim.

(1) Huismodi munitio ex eo videtur appellata quod in Groningae, *Frisiae* civitatis, op-

Scio pro palis ferreos cylindros fer-  
reasque hastas plerumque nunc adhi-  
beri, illosque terebratos ut in iisdem  
hae reponantur ad faci-  
liorem portationis usum:  
nonne ipsos cylindros *cip-  
pos* nuncupari licebit?

Atqui *Frisiae equus* a-  
liud nostri temporis mu-  
nimentum facile revocat,  
quod *reticulatum* vulgo ap-  
pellant. Constat hoc *cippis*  
hic illic terrae infixis, qui  
cum filis ferreis, iisque  
mucronatis maximaque cu-  
ra et studio conglomeratis,  
devincuntur. *Reticu-  
latum* haud dubio latinum  
nomen est, sed adiecti-  
vum, cui substantivum est  
appingendum, e. g. *opus*,  
quemadmodum factum est  
de huius generis muris la-  
terieis. Tale vero opus  
utique facile repeteret, si  
ad huiusmodi bellicum in-  
strumentum indicandum  
ipso verbo uteremur. Nec  
profecto proprie; diversa  
est enim, (itemque de rete  
dicas), duarum rerum re-  
praesentatio. Itaque reti-  
culata bellica *Crates* ap-  
pellari maluerim, rei ima-  
ginem procul dubio evi-  
dentissime praebens, ex  
ipso vocabuli etymo a  
graeco fonte κεράω, κέραο  
= misceo. Neque officit  
mihi antiquas crates ex subtilibus pro-  
prie lignis constare, vel viminibus di-

pugnatione an. MDXCIV renovata cum magno  
successu fuerit. RICH quoque, (voc. *vallum*) in  
vallo, *Frisiae* qui nunc dicitur *equus* recognoscit,

rectis, transvectisque modico intervallo  
contextis; vox enim per similitudinem  
ad plures sensus iam tam admota est,

ut « crates pectoris » apud  
Vergilium (*Aen.* XIII, 508),  
« crates laterum » apud  
Ovidium (*Met.* XII, 370),  
« Crates gigantum » apud  
Tertullianum (*Resur. carn.*  
XLII), quibus corpora nudis  
ossibus cohaerentia  
designavit; et ita porro;  
ne de illo supplicii genere  
dicam, quo reos crati sup-  
positos et lapidibus super  
inieictis obrutos necabant.  
De cratibus denique in mi-  
litari oppugnatione adhi-  
bitis audiamus Lipsium  
(*Poliorc.*, lib. I, 7): « Hir-  
tius mihi auctor priore de  
bello Alexandrino: Neque  
nostri aut scalis, aut cra-  
tibus, aut reliquis rebus  
parati venerant ad oppu-  
gnandum. — Duo iungit,  
nostro ordine, Scalas et  
Crates, sed et Ammianus  
(xx): Pars scalas vehentes,  
alii anteponentes vimineas  
crates, veluti caeci perge-  
bant antrorsus. — Idem  
XXI: Pluteos igitur praef-  
ferentes oppugnatores,  
cratesque densius textas.

— Hae autem crates in  
dupli tunica usu, sive *ut tegerent*, sic  
antelatae; sive *ut fossas* iis explerent,  
et mixto aggere, quasi per pontes irent.  
Sic profecto Caesar (*Gall.*, VII) facit  
ipsos Gallos oppugnaturos Romana ca-  
stra magno craterum, scalarum, harpa-  
gonum numero effecto, ad campestres  
munitiones accedere; ac tum clamore

sublato, crates proiecere, fundis, sagittis,  
lapidibus nostros de vallo deturbare. —  
Item paulo post, iidem Galli, pari ten-

**De Discordia et Veritate**

*Mali medelam praebet aliquando malum :  
pluribus id evenire quum possit modis,  
uno docere liceat eventu mihi.*

*Seges ut abundans sponte surgebat solo  
olim, Tonantis dum pater regna tenuit  
caelis et orbe, sic eo tempore probe  
virtutibus honos corde manabat hominum.  
Sed quum, superba caelitum pulso domo  
rectore vetere, coepit illabi malum  
gentes per omnes, illico mendacium  
furtim meare, sedulo nectens dolos.  
Quod Veritatis usque compressum volens  
sonum, secutum pone quum quodam die  
eam silenti collide foret gradu;  
altum, patentem pepulit in puteum, diu  
a se cupitus facinus admitti putans.  
At, teste nullo dum putat factum nefas,  
non visa tristis viderat Discordia;  
quae arbitrata sibimet optime fore  
si Veritati ferret auxilium, cito  
subvenit illi fulgidam in lucem trahens.*

*Exinde factum, Veritas ut nonnisi  
usque comitante pareat Discordia.*

Neapoli

F. S. DINO.

tamento, multitudine telorum propug-  
nantibus deturbant, aggere et cratibus  
aditus expedient, falcibus vallum ac  
loricam scindunt... — Tales autem  
Crates, quibus fossas explebant, non  
censemus fuisse elaboratas, ad modum  
*illarum stabilium*, quas in obsidione de-  
figebant; sed leviores, fortasse, nec tecto

aut lateribus, sed simplici textu vimineo, quem ante se ferebant ».

Equidem *reticulata*, quae vulgo nunc audiunt, ante castra praefuerunt ad tegendum, eaque in modum stabilem elaborata ad arcendum hostem, ut *craes*, desiguntur.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

## DE IOANNE PAISIELLO

Tamdiu est in more hominum positum, ut novis laudibus memoria clarissimorum virorum honestetur, quorum centenarius annus recolitur, postquam fato cesserint; *Alma Roma* et in hac re iustum suorum morem secuta, modo hunc modo illum in posterorum honorem, data occasione, revocavit. Et quot clarissimi viri, hoc ipso anno labente, temporibus equidem diversis, apud varias gentes sunt amplissimis laudibus decorati! Nuper postquam extraneos commemoravimus, errorem facere nos putaremus, si de nostris illustrioribus silentium faceremus.

Mense nempe Iunii saeculi elapsi MDCCCVI Venetiis placide vitam finivit Ioannes Paisiello, scriptorum musicorum omnium sua aetatis longe nobilissimus, et Italicae musicae strenuus vindex habitus. Ipse Tarenti natus an. MDCCXLI mirum in modum vel a prima aetate inter suos in re musica enitescere coepit, ad quam suopte ingenio vocari videretur. Hic enim ignotum adhuc inter artis peritos iter sibi carpsit, et naturali indole maxime instructus, eruptis veluti antiquae rei musicae carceribus, in quibus eius artifices hactenus cogerentur, facilitate quadam

nativa atque abundantia perductus, se in libertatem quandam vindicans, magnam sonorum amplitudinem adhibuit, quae in primis ac praeter ordinem multitudini placuit. Et cum plausu quot divitiae in eum fluunt! Quo nomine rectissime cum Horatio dixeris, dum omnia Europae theatra repetunt eius sonos:

*Garganum mugire putas nemus aut mare Tuscum  
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes  
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor  
Cum stetit in scena, concurrit dextera levae!*

Et principes et tunicatus popellus, omnesque aetatis suae potentes imperatores eum certatim benigno vultu ac propositis praemiis ornamentiisque invitabant. Namque ea potissimum tempestate, qua ab oriente ad occasum, adnitente Napoleone, Gallorum Caesare, omnia tenet atque occupat bellum, ipse Lutetiam Parisiorum petiit, amplissimis honoribus ubique gentium acceptus.

Maiora eum manebant. Namque brevibus intermediiis quae a bellis essent, omnes circa populos cruciantibus, hic artis magister, quae pacis omnino beneficiis innititur, ad urbes Europae capita se conferebat, ut notis suis peregrinis populorum animos, bellorum pertaesos, aliquantis per sui ingenii luminibus hilararet. Eodem tempore, ab Alexandro, Russorum Caesare, humanissime acceptus est, et brevi illius populi delicium fuit atque admiratio. Sic rex numerorum, ut vulgo passim ipse dicebatur, familiaritate, et nulla habita personarum differentia, cum populorum regibus atque supremis belligerorum magistris utebatur.

Hoc vero inventum in numeris suis rite componendis, compluribus iam editis operibus, maximum in modum adhuc videtur in celebri illo carmine

musico, cui nomem dedit: *La Nina pazza per amore*; quodque passim agi coeptum est in omnibus universae Italiae atque Europae theatris, summa spectatorum exultatione, ne potius deliramento dicam. Per omnia urbium compita, per angiportus, per plateas, in ipsis domorum penetralibus, et viri et pueri mulieresque, eius cantica tenerime ingeminant, quae nullo prorsus labore ac dulcedine foecundissimus Calaber identidem protulerat. Optime eum cum Ovidio componendum esse putaveris, praesertim si eius copiam considerabis. In mentem revoca quod *Tristium* auctor de se ipso canebat:

*Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos;  
Et quod temptabam scribere versus erat!*

Quotquot numerosae notae in uno eodemque temporis momento ex ingenio Ioannis Paisiello profuebant, per universam Italiam, iterum atque iterum pervagantes, raptim peregrinabantur. Sunt prope innumera opera, quae ex eius mente manarunt, quaeque transactis quoque Alpibus, Gallos hilarant, Germanos atque Hispanos. Nil mirum sane si Carolus Botta, celeber ille rerum Italicarum scriptor, qui patrum memoria cum ipso Livio ob rerum magnitudinem sententiarumque magnificentiam certare visus est, quum primum Augustae Taurinorum acta est *La Nina*, maxima animi admiratione commotus, litteras auctori dedit, ut suorum civium voluntatem ostenderet, qui universali plausu operam salutaverant: « Vicies, - ait - acta est apud nos *Nina* tua, eodemque semper animorum exitu; omnes Taurinenses passim de *Nina* sermocinantur, in omnibus civium conventibus de *Nina* colloquuntur. Postquam cives tuam hanc operam gustaverunt, ea sunt mentis admiratione perculti, ut veluti ipsi amentes

videantur, quemadmodum Ancyrae olim evenisse ferunt post auditam Sophoclis tragediam ». Ad haec asserere haud dubitavit: « Si omnes qui cantus procreant id fecerunt quod tu in *Nina* fecisti, musices magistri iure meritoque essent vitiorum humanorum extinctores dicendi, virtutum parentes, morumque correctores; et musica iterum elogia illa atque honores promereret, quae ei populorum olim rectores bonaeque veteres nationes tribuere consueverunt ».

Tot laudibus aequales Ioannis Paisiello compositiones cumularunt, qui carus omnibus et in multa suorum benevolentia atque in opulenta senectute, Venetiis, ut diximus, decessit.

SENIOR.

## COMMUNIA VITAE

### De muneribus offerendis.

Adsunt auspicatissimi dies, quibus undique certatim munera offeruntur atque accipiuntur, et homines vice adsidia illud omnino contendere videntur, ut ita amicorum animos nova amoris significatione sibi devinciant. Munera?... Quid sibi volunt?... Quid nempe significant?...

En, in promptu, responsum praebet senex quidam sexagenario maior, qui quum longam sibi turbam nepotum ad latera videret, adpetentibus sacris Divini Christi Natalis diebus, arrepta occasione, suos monitos voluit de munere more inter homines posito, ut quid boni habeant, sequantur, maligni prudenter effugiant.

Quid, si in rei commodum aliquod et lectores *Almae Romae* vocabo? « Si quid adhuc ego sum, munieris omne tui

est » o lector; ac propterea haec mea tecum, qualiacumque sint, libenter comunicabo.

Anselmus ergo (hoc enim illi nomen), albis cinctus tempora capillis, subridenti hilarique vultu, sic sermonem est exorsus, tacentibus omnibus:

Bona quaedam in hominibus consuetudo viget, ut quum adveniant dies Christi Nativitatem recolentes, faustissimis verbis tibi omnia fausta precentur, additis quoque donis ad voluntatem suam significandam. Et pius hic usus fortassis prodiit ex illis pastoriis Betheemeticis, qui voce Angelorum profecti ad Divini Infantis cullam, Ei cum omne sua munera obtulerunt. Hinc perpetua illa votorum occasio inter homines hoc tempore magnis cum muneribus. Et vos, quibus est adhuc tenera aetas, curritis ad parentes maiores congratulantes, eo nomine taciti, ut quid muneris vobis detur. Ac propterea hisce potissimum diebus, aut novo redeunte anno, qui motus in urbe, quae fausta vel in infimis pagis, promuntur!... Et ipsi Reges, hunc subditorum morem sequuti, hilares auspicia aulicorum recipiunt dantque vicissim summa omnium laetitia.

Hanc sententiam prolixe me enucleare patiamini.

Nihil fortasse magis hominum mores graphice exprimit nihilque cuiuscumque ingenium melius significat, quam haec donorum atque auspiciorum manifestatio... At qui labor et ei qui accipit, eique qui reddere consuevit! Diverse enim hanc tuam voluntatem expromere potes atque erga tuos amicos plurima amoris sigua ostendere; quoniam variae benevolentiae causae. Namque aliquando tu munus ceteris ad eorum delectationem obfers, vel ob tui

ipsius gaudium, vel demum ob unam rerum consuetudinem... Sed aliquando nec pro muneribus obferendis est tempus opportunum, neque animus tuus est ad munera aptior: attamen adest necessitas, vel honestas, vel cor nostrum paratius ad haec officia esse videtur. Cave, ne quoque in donis eligendis erres! Hac in re maxima tibi sit cura praecepitumque studium. Hoc autem si parum tibi esse videtur, scito equidem in re tenui maximum esse laborem. Mihi in mentem venit aptumque autumo quod cecinit Vergilius: *Hoc opus, hic labor!* Imo si acu hanc rem conficies, te in primis heroem adpelabo.

Munus enim quodlibet habet in se quamdam insitam amoris praecipui significationem. Aliquando auspex adparet vel honestum, ineptum vel eloquens, ex illorum animo et tempore qui illud recipiunt. Est et munus pretiosum, quod superbo quodam supercilie accipienti dicere videtur: « Meam tu ipse magnificentiam admirare! » Qui vero recipit, admiratur fortasse, imo et gaudet; sed nulla gestiet laetitia...

Adest et munus quod optime *recoigitum* dicendum esse putaverim; quod in se veluti gerit reconditum desiderium, et quamdam insitam intentionem. Namque inter sese submisso dicere videtur: « Novi optime voluntatem tuam, et mihi religio fuit ut hoc desiderio implerem ». At hoc munus, quod dulce admodum atque in primis esset pretiosum, attamen est modicum cordi eius delicium. Hoc vos audientes saepe saepius dicere contenditis:

*Per rupes, scopulosque aditique carentia saxa  
Tentat iter...*

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS,

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Balcanica regio etiam in proxime elapso mense Novembri furens magis horrendi belli incendium vidit; in Rumenorum regione praesertim, ubi Teutones vindicationes suas acriter explore valuerunt. Retento enim hostium pressu in Iin valle, quum brevi eum in defensionem convertissent, laevum illic, et in Orsovae regione, Rumenici exercitus cornu in id discriminis adduxerunt, ut ad receptum cogerent. Facilior igitur atque latior per Rumenicam terram incursio: hinc Crajova urbem capiunt, inde, Danubio flumine pluribus vadis transacto, agmina sua Alexandria in urbe coniungunt; ex qua iam Bucarestinum tendunt. Gravis profecto civitatis omnis conditio; quamquam integras adhuc suas copias habet, quarum quae in Dobrugia operantur, haud equidem inertes sese tenent, itemque quae in Prilep valle, ubi in fugam Bulgarios verterunt.

Russi interim Rumenis sociis auxiliari student in Transilvania atque in Sarmaticis montibus; dum in Stochod, Brody, Stanislau, Dorna Vadra, Dwiane, ceterisque domi suaee campis, strenue hostibus obsistunt.

Est vero altera in Balcanica ipsa regione bellica frons, nempe Macedonica; in qua Anglo-Galli et Itali cum Serbis coniunctim pugnant. Ibi consociatis hisce viribus fortuna magis arrisit, quae, post varias a Prespa lacu ad Doiran, a Cerna ad Dobropolje flumen actiones, recuperatisque oppidis Polok el Velysello, Monastir urbem oppugnarunt in potestate suam redegerunt. Nunc vi-

tricia arma ulterius ad Serbiam redi mendam producunt.

Nec minori successu Itali cum Austriaeis per impervia Alpium iuga, Carsicae maxime Iuliaeque regionis, conflixerunt. Profecti enim ex occidentalibus Veliki-Hribach saltibus, monte integro potiti sunt, ac deinde Faiti Hrib et Volkovnjak ipsi consequentibus; inferius autem, in via quae ab Oppachiesella oppido ad Castagnevizza ducit, prodierunt; et circa Goritiam S. Marci montem fere omnem expugnarunt, acriter ab hoste vallatum; qui perfido clari gationis more suo in Patavinam, aper tam praesidioque quovis nudam civitatem, mortiferis solidibus ex aeronavibus projectis, saeviit. Novam hanc iuris gentium violationem viri omnes, qui aliquo humanitatis sensu polleant, acerbe conquesti sunt; in primisque Summus Pontifex; qui, insuper paternam intercessionem impendit, ne barbarum alterum facinus Teutones patrarentur; ne scilicet Belgicos cives ad labores per vim exsequendos in Germaniam deportarent. Neque est tacendum de alio violati gentium iuris scelere Germanicis imputatum: hoc est de duarum Anglorum navium submersione ad vulneratorum nosocomium adhibitarum.

Sed ad reliquarum frontium peculiares eventus recolendos accedamus. Iuxta dexteram Mosae fluminis oram Galli, quum ad Vaux oppidum usque pervenissent, Teutones ad recessum adegerunt: itaque locum recuperarunt, atque paulo post oppidum Damloup; per Somme autem flumen Ablaincourt et Pressoire ab hostium manu vindicarunt. Sua vice Angli praeter Ancre fluvium satis proiecti sunt; iidemque Beaucourt oppidum obtinuerunt.

Inter haec, annorum gravis breve

morbo confectus, ad Vindobonam vita fungitur Franciscus Iosephus, Austrorum Imperator et Hungarorum rex; qui natus d. XVIII mens. Augusti MDCCXXX, solium ascenderat an. MDCCXLVIII, ob regiam potestatem a Ferdinando patruo abdicatam et a patre Francisco Carolo renunciata. Ei succedit Carolus Franciscus Iosephus pronepos, natus die XVII mens. Augusti MDCCCLXXVII.

Interim pariter Guilelmus, Germanorum Caesar, Poloniae libertatem promulgat: libertatem vero Germanorum imperii tutelae ita subditam, ut iam nunc Poloni cives stipendia facere apud Germanicum exercitum cogantur. Huiusmodi actum Russorum Caesar vehementer impugnat, atque universo orbi, utpote novam iuris gentium depravationem, denunciat.

\* \*

**De civibus bellis**, quae in superiore numero nunciavimus, hae, quae sequuntur, notitia afferuntur: in Mexicana civitate, Villa atque Diaz ducum res meliori loco ita esse dicunt, ut Carranza praeses Queretaro ad urbem configere in eaque sese munire coactus fuerit.

In Abyssinia Scioanus exercitus Michaëlem, regis patrem dignitate spoliati, fudit et fugavit. Fama quoque manavit Ligg-Jasu ipsum in pugna captivum factum fuisse.

\* \*

**In Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** ad novum praesidem eligendum comitia sunt habita. Contra Hughes aemulum, Wilson, nunc praeses, in suo munere est confirmatus.

Kalendas Decembribus, MCMXVI

POPPLICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Redit, ecce, Natalis Dominici festum; at *pax* a nobis, non bonae voluntatis hominibus, exulat adhuc; una manet praeteriti temporis recordatio, eius praesertim temporis, in quo pueri, ingenua felicitate laetantes, hosce dies exspectabamus, dona gratissima nobis afferentes. Quid autem acceptius tum atque iucundius, quid in deliciis magis, quam omnis generis lusus? O quam antiqua varius generis **puerorum oblectamenta**, eaque quam diu, et ad nos usque, passim afferre identidem producta! Num vobis, lectoribus meis fideliter humanissimis, displicebit eorum aliquot hodie mecum recensere?

Reculas pueriles, quae infantibus ludi causa dabantur, *crepundia* uno verbo Romani appellabant. Erat in primis, voce ab eadem radice deducta, hoc est a *crepo* (crepitum edo, reson, strideo, murmuro; quae infantes maxime amant) *crepitaculum*, aut, diminutivo sensu, *crepitacillum*, parvum scilicet instrumentum, quod etiamnunc videmus, tintinnabulis constans, tinnitum, quem moti essent, edentibus. At puellulae iam tum a prima aetate *pupas* colebant, foemineas nempe imagunculas, ex linteo plerumque insutas, tomento infaretas, fasciis involutas aut vestibus amictas; atque ita colebant, ut quem ad puberatatem appropinquarent, eas tamquam virginitatis suae insignia Veneri offerre solerent, ut fauste sibi futurum matrimonium cederet. Quae pupulae, si cereae essent, *plagunculae* proprius appellabantur.

Masculis etiamtum erant *neuropasti* (sing. *neuropaston*, *i*), ligneae figurae illae tali artificio intus, sive ad capitum, et ma-

num pedumque extrema compactae, ut si nervum seu fidiculam trahas, ad speciem hominis vivi movere membra videantur. Optime eas descriptis Apuleius (*De Mundo*): « Qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad omne ministerium praesto erunt, nec invenustus totus videbitur vivere ». Ad summam igitur perfectionem, eamque quam in nostra aetate proiectorem, ludici huiusmodi pupi pervenerant!... Nihil profecto sub sole novi; ne turpes quidem deformesque illae imagines, ab aliqua capsula, quum eam aperueris, prosilire solitae. Haec pusionum interdum vere terricula menta, quae *babau* nunc adpellitamus, olim *maniae*, aut *mania* dicebantur.

Praetereo *talos* et *ocellata*, parvos, inquam, illos lapillos rotundos, quibus varie Romani pueri ludebant; et recto ad *pilam* venio, quorum genera quattuor praecipua, ut nunc, habebantur: *follis*, *harpastum*, *paganica*, *trigon*; primum, omnium maximum, constans ex aluta vento inflata, ita dictum est, quod instar fabrilis vel coquinarii follis vento turgeret. Harpastum, genus pilae appellabatur, item grandioris, at folli minoris; « ab ἀρπάζω, rapio, quod plures projectum harpastum conentur arripere et extra ludi limites eiicere. Nam hoc pilae genus non repercutitur, sed quem multi ludentes in duas partes divisi sunt, quisque adnititur pilam arripere, et ad eos, qui post se sunt viciniores limitibus, transmittere: eiusque partis victoria est, quae pilam extra limites adversariae partis eiecerit ». (1)

Paganica, lusoria pila erat pluma fareta, maior trigone et mollior, folli minor sed durior, seu arctior et firmior; in pagis inventa — (unde nomen) — ad voluptatem rusticorum, deinde in urbes translata et frequentata in gymnasii, praesertim ante balneas. Trigon denique, minima pila illa dicebatur, quam duram et firmo pilo ferebant. Hac ludebant, praesertim exercitationis gratia, tres ludentes ita dispositi, ut *trigonis*, seu trianguli formam efficarent.

Puellae quoque pilae ludo multifariam exercebantur, ut videre est apud Ovidium (*Art. am.* III, 361): satis hic sit genus illud adhuc usitatum memorare, quo multae pilae in *reticulum*, hoc est sacculum, coniectae, effunduntur acervatim; deinde ita singulae tolluntur, ut, dum una capitur manu, ceterae minime moveantur.

Sed properemus... Qui vero de *turbinatecam*? Turbo, ligneus antiquitus unice erat; at eamdem formam quam adhuc retinebat, nempe metae inversae, ima sui parte in acutum desinentem, in summo latiore; et scutica circumagebatur. Proximus ei *trochus*, circulus ille seu rota ferrea, quae ludi causa ferreo manubrio (quod *clavis* dicebatur) impulsu mittitur. Habebat iam antiquitus interdum, infixos circa, parvos annulos, aut tintinnabulos, qui, quum iacebantur, tinnitum et sonum redderent. Taceamne de *tabula* (italice *bigliardino*), in qua cum Iuvenale (I, 89) « loculis comitantibus itur ad casum »? Atque de *oscillatione*, id est de iactatione per funem?.... Sed utique claudendi rivi

genus est, grandioribusque tantum conveniens. Quum enim multi simul pilam arripere conantur, in terram se invicem prosternunt, pulvereque et sudore infecti flavescent. Ludus huiusmodi etiam *sphaeromachia* appellatur ».

(1) FORCELLINI, *Tot. Lat. lex.*, voc. *Harpastum*. — Qui ita prosequitur: « Laboriosum ludi

sunt; nam spatii limites hodie mihi assignati, prohibent quominus ultra in arguento insistam.

\* \*

Non tamen finem dicendi mihi imponam, quin ad Badaiocensem anonymum illum meum revertar, qui si pro humanitate sua me certiore fecit mihi non succensuisse quod eum Americano collegae olim postposuerim, nolo ulla ratione credit dilectionem erga ipsum meam vix minimum e via deflexisse. Ei igitur hodie, de more, **prandium natalicium** offero, quod ipsi omnibusque qui sibi comparare voluerint, benevertat.

*Promulsio varia.**Petasuli Bononienses iurulenti.**Sturio elixus cum epityro.**Artocreas leporinum.**Capo inassatus; acetaria.**Copta Senensis.**Amygdalinae nucis succus nivatus.*

\* \*

**Iocosa**

Malus pectorum imaginem Summi Pontificis Pii IX pennicillo quondam inepte reddidisset, eum enixe rogavit, ut subscriptionem suam cum aliquo sacro versiculo tabulae dignaretur apponere. Pontifex quum blandis verbis periculi effugium frustrantasset, ille autem magis instaret, arrepto calamo: «Ego sum; — scripsit — nolite timere»; nomenque apposuit.

Ebrius in viatorem quemdam rude inurget. Qui ira percitus eum increpat:  
— Numne intendere potes quo vadas?  
Nonne me vides?  
— Quinimo te duplarem video.  
— Ecquid igitur?

— Babae! in medios ambos vos transire studebam!...

\* \*

**Aenigmata**

- |                   |                                |
|-------------------|--------------------------------|
| 1-8.              | In aquis; in caelis.           |
| 1, 2.             | Dubitat.                       |
| 1, 2, 5.          | Negat.                         |
| 1, 2, 6, 7.       | De staminibus.                 |
| 1, 5, 3, 4, 7, 8. | In matrimonio.                 |
| 1, 5, 4, 7, 8.    | Oculorum.                      |
| 2, 1.             | Ad indicandum.                 |
| 2, 4.             | Coniungit.                     |
| 2, 8.             | Verbi voces singularis numeri. |
| 2, 8, 4.          | Pars corporis.                 |
| 3, 2, 8.          | Ciborum domestica copia.       |
| 3, 5, 8.          | Foetidum.                      |
| 3, 7, 4, 2, 5, 8. | Fovea.                         |
| 4, 2.             | Pronomina.                     |
| 4, 5.             | Venatorum, et Praepositio.     |
| 4, 5, 8.          | Pro aris.                      |
| 5, 4.             | Adverbium, et Coniunctio.      |
| 5, 4, 2, 1, 8.    | Qui rem adhibet.               |
| 5, 6, 7, 8.       | Numerus.                       |
| 8, 2, 7.          | Disiungit.                     |
| 8, 7, 1, 4.       | Verbi vox numeri pluralis.     |

(Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1] *Via*; 2] *Catena*).

IOSFOR.

**MONITUM**

*Delatae recens nobis sunt ex Americis, ad pretium consociationis solvendum, syngraphae duae, altera ex urbe Sancti Ludovici (St. Louis), altera, per nummariam mensam Richard et Soc., ex urbe Neoeboracensi (New-York); ambae sine mittentis nomine; quem igitur ut sese patefaciat, ad faciles errores vitandos—(habemus enim socios plures in utraque civitate) — etiam atque etiam rogamus.* A. R.

Dr. Iosephus Fornari, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

**INDEX RERUM VOL. III.**

(AN. III — FASC. I-XII)

<b>Alloquia sociis et lectoribus.</b>	
	pag. 1, 81, 199, 201, 221, 238
<b>Annales.</b>	
	pag. 14, 35, 54, 74, 93, 116, 134, 154, 174, 195, 214, 235
<b>Apologetica.</b>	
	Viae ad pacem (A. R.) pag. 3
	In encyclica epistolae «Rerum novarum» vigesimo quinto anniversario (I. I. Berthier) 81
	De «internationalismo» Christiano (I. I. Berthier) 121
	De sancti Francisci Asisiatis spiritu (I. B. Francesia) 183
	Bellum, piacular flagellum (Romanus) 201
	De Iesu Christi Nativitate in saeculis Hebraeorum libris (I. B. Francesia) 226
<b>Archaeologicae res.</b>	
	Puerorum poëtarum memoria Romae instaurata (Senior) pag. 9, 27
	De monumento Christiano omnium vetustissimo apud Sinas (Senior) 86
	Tiburtinae acropolis monumenta (**) 110
	Quo ritu apud Graecos et Romanos acies ad bellum instruerentur (**) 143
	De funerum ritu apud Romanos (**) 205
<b>Ars.</b>	
	De pulchritudine tum naturae, tum artis (G. Lepore) pag. 21
	De aestetica (G. Lepore) pag. 64, 112
	De musica (G. Lepore) 164
	Ingenuarum artium specimina: Hoffmanni tabula Christum referens cum doctoribus in templo disputantem (X) 10
	Giotti muralis pictura, praesentationem referens Iesu Christi in templo (X) 30
	Ioannis Petri Slingeland tabula, pueros effingens bullas ex caustica spuma trahentes (X) 51
	G. Auberti tabula, Coenam Domini reddens (X) 71
	Francisci Van Mieris tabula Senes referens mensae accumbentes (X) 90
	Mariae Stillman tabula, cui titulus "Pacis nuntius" (X) 131
	"Domine, salva nos, perimus!" — Tabula A. Dietrich (X) 171
<b>Carmina.</b>	
	Mater dolorosa (T. Vignas) pag. 6
	Ludicra (F. T. Molledo): Causidicus et asinus. — Organicus et Miles urbanus. — Pueri reprobati execusatio. — Tuvenis deformis et larva 34
<b>Libri dono accepti.</b>	pag. 58, 119
<b>Librorum recensio.</b>	pag. 97, 157
<b>Litterae et Philologia.</b>	
	De litteris apud Gallos recentioribus et mox adhibendis (Franc.) pag. 4

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	pag. 12, 49, 124
De Apulei scribendi genere eiusque in moribus fingendis virtute ( <i>M. Galdi</i> ) . . . . .	66
De certamine poetico Hoeufftiano . . . . .	86
De rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilius ducant. ( <i>Doctor Haver</i> ) . . . . .	pag. 141, 166, 203
De epistulis apud veteres ( <i>Senior</i> ) . . . . .	pag. 189, 209

**Necrologia.**

Leo Harmel ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	pag. 25
In memoriam Guidi Baccelli ( <i>Alma Roma</i> ) . . . . .	43
Ioannes Baptista Lemoyne ( <i>I. B. F.</i> ) . . . . .	" 188
(Vide etiam <i>Varia</i> ). . . . .	

**Oeconomicae et Sociales Quaestiones.**

De Armenia ( <i>Franc.</i> ) . . . . .	pag. 48
Pro Polonia ( <i>Romanus</i> ) . . . . .	" 105

**Philosophia ac Theologia.**

De vindicatione ( <i>I. I. Berthier</i> ) . . . . .	pag. 22
De unitate qua Christianae Fidei dogmata inter se cohaerent ( <i>C. Petroccia</i> ) . . . . .	pag. 61, 88
De doctrina S. Thomae Aquinatis impensis excolenda ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	" 222

**Pro Iunioribus.**

Nonnulla circa morum institutio- nem ( <i>Doctor Haver</i> ) . . . . .	pag. 13
Et praeceptores et studia ament adolescentes ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	" 53
Sit gratus erga Magistrum discipu- lus ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	" 72
Quam dulce sit uti aliquo amico. . . . .	" 93
" Dum superat generi virtus anti- qua parentum, Augeat Italiam divini gloria ruris" . . . . .	" 133
Litterae hominum ornamenta sunt ac solatia ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	" 153
De humano dolore ( <i>I. De Luca</i> ) . . . . .	" 172
Plura audiamus, loquamur paucia ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	" 193
De cognitionis et scientiae studio ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	" 213

**Roma Sacra.**

Acta Benedicti XV P. M. . . . .	pag. 18, 39
Sacrae Congregationes :	
Ex Congregatione Consistoriali . . . . .	" 119
Ex Congregatione de Disciplina Sa- cramentorum . . . . .	pag. 58, 120
Ex Congregatione Indicis . . . . .	" 138
Ex Congregatione S. Officii. pag. 58, 120,	
139, 178	

Ex Congregatione S. Officii (Sect. de Indulgentiis) . . . . .	" 178
Ex Congregatione Sacrorum Ri- tuum . . . . .	pag. 78, 218

Ex Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus . . . . .	pag. 217
Ex S. Poenitentiaria Apostolica . . . . .	pag. 39, 518

**Scenicae fabulae.**

Francisculi prandium ( <i>I. Fornari</i> ) . . . . .	pag. 20, 40, 59, 79, 99, 139
Ad Praetorium ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	" 219

**Vacui temporis hora (Iosfor).**

De chronologia . . . . .	pag. 16
Nivales pilae . . . . .	" 17
Iocosa pag. 17, 38, 57, 77, 97, 119, 138, 157,	177, 199, 216, 238.
Epistolaram commercium . . . . .	" 36
De ratione qua pictae telae sordi- bus mundentur . . . . .	" 37
De ieunio . . . . .	" 55
De naso . . . . .	" 57
De Paschalibus dapibus . . . . .	" 76
De Paschatis Florentina columba . . . . .	" 77
Agricolarum praesagia . . . . .	" 95
Shrapnel . . . . .	" 117
De suffocantibus gasiis . . . . .	" 118
De organo pneumatico . . . . .	" 118
Hora "legalis" . . . . .	" 136
Ratio maris domi comparandi . . . . .	" 137
Regimen potus aquae. . . . .	" 137
Si charta deficeret. . . . .	" 155
Contra muscas . . . . .	" 156
Mira mirorum . . . . .	" 176
De bellico certamine poëtico . . . . .	" 196
De loco et tempore conviviorum, de discubendi apparatu et ra- tione, atque similibus . . . . .	" 196
Autofamuli popinarii . . . . .	" 215
Puerorum oblectamenta . . . . .	" 236
Mensarum ordines pag. 137, 157, 177, 216, 238	
Aenigmata pag. 38, 57, 77, 97, 119, 138,	
157, 178, 199, 216, 238	

**Varia.**

" Semper dum vivam tui meminero varii dicendi modus. (Ex elegan- tiis A. Manutii Iun.) . . . . .	pag. 38, 98
Guidi Baccelli oratio habita in con- ventu Medicorum universalis Be- rolinensi an. MDCCXC . . . . .	" 44
Guidus Baccelli latitatis adsortor . . . . .	" 45
De futuris contingentibus ( <i>Subal- pinus</i> ) . . . . .	pag. 53, 65
De flabellis ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	" 145
De feriis et vacationibus apud se- ptentrionalis Americae gentes (T. C.) . . . . .	" 148
De horrenda quorundam animan- tium arborisque natura eaque mira (Ex historiis <i>Cordarac</i> ). . . . .	" 217

**Vetera et nova.**

De tormentis bellicis ( <i>I. Fornari</i> ). pag. 31, 91	
De projectis sive telis ( <i>I. Fornari</i> ) . . . . .	" 128
De munimentis castrensis ( <i>I. For- nari</i> ) . . . . .	" 228